



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetae Psalterium

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs CVIII. Paratum cor meum, Deus, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Ferre humeris doctos pondera dura suis.
Dum contempta iacent primatum sceptrā, nec illi,
Quò se conferrent, tutum habuere locum.
Hos Deus arumnis pressos sic erigit, arces
Ut teneant, sobolem multiplicentq̄ suam.
Hæc pia gens cernens verè latabitur: omnis
Impietas sua dum contrahet ora dolens.
Quis sapiens erit? hæc qui sic obseruet, ut inde
Perspiciat, quàm sint facta benigna Dei.*

PSALMVS CVIII.

Paratum cor meum, Deus, &c.

IN noua fert animo festiuam cantica linguam:
O igitur citharæ & nabla canora sonent.
Manè nouo in populis grates tibi carmine dicam,
Gentibus in cunctis laude ferère noua.
Nam tua transcendit spaciosum gratia cælum,
Exuperat nubes & tua sancta fides.
Te Deus exalta transcendens nubila cæli,
In terris vigeat gloria summa tua.
Vt tibi dilecti redimantur carcere duro,
Me, Deus, exaudi, me tua dextra leuet.
Est Deus ex adytis mihi dulcia verba locutus:

Sorte

*Sorte dabo Sichimos, metiar atq; Suchot.
 Est Gileath meus, atq; Ephrem, fidusq; Manasses,
 Hic robur populi Dux sed Juda mei.
 Olla mihi Moab sit, vasis apta lauandis,
 Purgabis soleas, fortis Edume, meas.
 Jubila cantabo, per cuncta Philistia regna,
 Hostibus hinc domitis, gaudia plena feram.
 Quis me deducet per fortia mœnia in urbem?
 Quis, rogo, Edumeos duxerit ad populos?
 Nonne id tu facies Deus, etsi nostra repelli
 Agmina, nec duce te prœlia inire sinis.
 Auxilium presta, Deus, ad sis tempore iniquo,
 Humano auxilio quàm malè fida salus?
 Auxiliante Deo, victricia signa feremus,
 Ipse hostes nostris subiiciet pedibus.*

PSALMVS CIX.

Deus, laudem meam ne tacueris, &c.

NE sileas, Deus ô, mea laus, mea gloria, cuius
 Tempore non ullo à me reticetur honos.
 Ne sileas, ne dissimules opprobria falsa,
 Hoc quibus oppugnat perfida lingua caput.
 Impia turba suo mihi ubiq; molesta veneno